



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 78. Bernardi Mariæ de Comitibus Cardinalis extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

gemmas, aliaque pretiosa ad decies <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
centena aureorum millia ascenderat, <sup>A. C. 1730.</sup>  
ejus Agnati inter se divisere. Sepul-  
tus est in ejus Ecclesia gentilitia  
S. Agnetis in platea Agonali.

## §. LXXVIII.

*Bernardi Mariæ de Comitibus Car-  
dinalis extrema.*

Pari fato vivis in hisce comitiis sub-  
latus est Bernardus Maria Conti  
seu de Comitibus, Frater Germanus  
Innocentii XIII. Pontificis. Hic Romæ  
Anno 1664. die 29. Martii in lucem  
editus fuerat, Patre Carolo Duce Poli,  
Matre Isabella Ducissa de Muti. Ho-  
rum cura Bernardus eximia in Deum  
pietate, ac morum innocentia educa-  
tus, a Parentibus impetravit, ut ex-  
acto decimo sexto ætatis anno Institu-  
tum S. Benedicti Congregationis Cassi-  
nensis in Romano S. Pauli Monasterio  
profiteretur. Jam eo tempore Majores  
suos, quorum quatuordecim tiara Pon-  
tificia, & undecim Romana Purpura,  
ac præcipue virtutibus inclytos nume-  
rabat, sibi imitandos proponebat, tam  
felici æmulationis successu, ut in ipsum  
solum singula Majorum decora simul  
confluxisse viderentur. Præprimis vero  
altum fodit humilitatis fundamentum;

Sæc. XVIII. infirma enim Ordinis sui munia ob  
 A. C. 1730. haud detrectabat, quibus, ut ad Su-  
 periorum suorum iussa plene satisfac-  
 ret, plures peragrabat Gallæ Cilli-  
 pinæ urbes, & plura Benedictinorum  
 Cænobia; in Civitate etiam Parmensi  
 in cuius agro nonnulla gentilitiæ sue  
 Domus prædia habebat, longiores  
 traxit moram, ut eo liberius precatio-  
 nibus, necnon literariis meditationibus  
 vacaret, sicque accinctus ad gravius  
 se redderet idoneum. Inde anno Christi  
 millesimo septingentesimo Romam  
 vocatus, in Monasterio S. Calisti inter  
 profundæ humilitatis nebulas tot  
 claruit meritis, ut paulopost Prior  
 Civitate Assisiensi eligeretur: Romam  
 dein iterum advocatus, Monasterium  
 S. Paulum Romæ Prior dicitur, qui  
 munere non sine maxima laude per-  
 functus, Abbas datur Monasterio Ter-  
 bariensi in Sabinia. Haud ultra  
 men inter parietes domesticos dis-  
 tescens Bernardi virtus effugere po-  
 erat aciem Clementis XI. qui solus  
 meritorum æstimator Virum Terra-  
 nensi Ecclesiæ Episcopum præfecit.  
 Rara ibi pietatis Zeliqve Apostolici  
 cimina edidit, ipse e sacro suggestu  
 ad populum dixit, Diæcesin lustravit  
 pauperes aluit, & Ecclesias sacra  
 pellectili dotavit. Ast ob aeris incle-  
 mes

mentiam adversamque valetudinem per plures annos perpessam Episcopatum dimisit, seque in Domum Ducis Poli Fratris sui sese recepit, ubi tempus omne divinis contemplationibus exegit, ac procul ab hominum strepitu vitam egit monasticam. Anno 1721, Dei consilio factum, ut Bernardi Frater Michael Angelus de Comitibus in Petri Cathedram eveheretur Innocentius XIII. dictus, qui Bernardum, invitum licet, ad Lusitani Regis preces Purpura decoravit. Communis lætitiæ signa erant festivi ignes per urbem accensi, solemnibus campanarum sonitus & tormentorum explosio in arce S. Angeli. Sacer quoque Benedictinorum Ordo Venetiis, Neapoli, Genævæ aliisque Italiæ Urbibus publica gaudii testimonia exhibebat, eoquod ex novo hoc sydere præclarissimum lumen Casinatensi cælo accessisset: inde etiam Sacri sui Ordinis Protector nominatus est Bernardus, quem Pontifex, Cardinales, & Romani Proceres donis, ac redditibus ad sustinendum Cardinalatus decorem sibi devincire certabant: Eligebatur insuper in supremum D. Petri Eleemosynarium & Pœnitentiarium Majorem. Attamen tot honores dignitatesque in hunc Virum accumulari eo duntaxat sine videbantur, ut ex eis  
 sibi

S. XVIII.  
 A. C. 1730.

Sæc. XVIII. sibi labores accrescerent; quotquot  
A. C. 1730. nim in Urbe erant sacræ Congregatio-  
 nes, illis omnibus erat aggregatus Ber-  
 nardus, ut in cunctis studium operan-  
 que suam in Apostolicæ Sedis obli-  
 quium impenderet. Nec tamen hinc  
 oneribus fractus, nec Pontificia Fratris  
 benevolentia elatus, ab humilitatis  
 femita deflexit, nec a pristina modestia  
 sibi ingenita nil adeo recessit, ut potius  
 Religiosæ solitudinis amantissimus cum  
 Fratribus Cænobii S. Bernardi sui Te-  
 tularis frequentissime versaretur, ve-  
 tamque soli Deo dicatam ageret. Sa-  
 cram tamen hanc quietem nonnihil  
 interturbavit obitus Innocentii XIII.  
 Fratris sui, cui morituro extrema se-  
 luti obsequia ipse impendit, deli-  
 quium ob fraterni affectus teneritudi-  
 nem passus, dum in solemnem feretro  
 expositi dexteram osculo veneratus  
 accesserat. Luctum ex hujus obitu  
 conceptum nonnihil temperabat singu-  
 laris existimatio & favor, quo pariter  
 Benedictus XIII. Successor Bernardum  
 dignabatur. Id vero in eo singulare  
 est, quod gratiam & auctoritatem,  
 qua apud neo-electum Pontificem va-  
 lebat, nunquam in privatam sui utili-  
 tatem, sed in aliorum commodum ver-  
 teret: hoc quoque elucet ex eo; cum  
 enim Abbas Cassinensis decessisset, &  
 oppido-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

oppidorum ei subjectorum incolæ ad-  
versus illum apud S. Sedem graves  
detulissent querelas, Benedictus XIII.  
hanc Abbatiam in Episcopatum trans-  
mutandi consilium ceperat, Bernardus  
vero, quamvis hanc Insulam sibi nullo  
ferme negotio vindicare potuisset, sum-  
mis tamen precibus instabat, ut Pon-  
tifex mutato consilio novum Abbatem  
eligendi copiam Monachis faceret.  
Mortuo hoc Papa Bernardus decima  
Aprilis die S. Comitia ingressus, a  
nonnullis Cardinalibus in Successorem  
expetebatur: At ubi die vigesimo ter-  
tio ejusdem Mensis Scrutinium acce-  
deret, repente apoplexia correptus  
obiit, non nisi sexaginta sex annos na-  
tus. Per solutis in Sacello Paulino  
exequiis Corpus ejus translatum est  
ad Ecclesiam Abbatialem S. Mariæ de  
Mentorella Diæcesis Tyburtinæ, quæ  
de Jure patronatus illustrissimæ hujus  
Familia est.

§. LXXIX.

*Innici Caraccioli Cardinalis fata.*

**E**ditus est Innicus Caracciolus Nea-  
poli die 9. Julii Anno 1642. in op-  
pido Martinæ, quod vetustissimæ hujus  
Familia feudum est. Pater fuit Fran-  
ciscus Martinæ Dux, Mater vero Bea-  
trix